



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii  
Compendium Omnium Operum de Theologia Morali,  
omnibusque conscientiæ nodis**

**Bonacina, Martino**

**Coloniæ Agrippinæ**

Vidua.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41152**

De vicario Episcopi integrum volumen conscripsit Jaco Sbrozzius, nonnulla scribit Sanchez *td. 1. de matrim. l. 3. d. 29.*

Vicarius generalis dicitur ordinarius, potestque dare dimissorias, & potestatem absolvendi à reservatis. Sanchez *l. c. d. 9 n. 3.* alii tamen dicunt esse delegatum. Idem dicas de vicario Capituli, fede vacante. *ibid. num. 4* Sbrozzius, Navar. *conf. 5. de spons.*

Vicarius Episcopi eo mortuo cessat, (nisi à Capitulo confirmetur) gesta tamen per eum ante mortis notitiam valent. Sanchez *l. c. dist. 30 n. 2.*

Vicarius perpetuus potest facere vicarium ad tempus seu temporalem.

Vicarius temporalis potest facere vicarium, si sit consuetudo, aut habeat speciale mandatum, aut non possit totum implere, & partem committat.

## A D D I T I O.

## Vidua.

Vidua non dicitur, quæ non est à viro cognita.

Viduam præteritis venereis ex viro voluptatibus delectari, non est per se mortale, sed ob periculum pollutionis, aut delectationis mortiferæ erit frequenter mortale, Cajet. *ver. delectatio. Val. tom. 2. d. 6. q. 4.* De hac re lege Nav. *cap. 16. n. 10.* Azor *l. 4. l. c. 6.* Sanch. *l. 9. d. 47. n. 7.*

## A D D I T I O.

## Virginitas.

Virginitas amittitur pollutione voluntaria, saltem in causa, ut cum quis nocturnam optat, aut procurat voluntariè, & concubitu apto eam facere, etiam si per accidens non sequatur, quidam tamen dicunt sine pollutione eam non amitti. Syl. *v. virginitas n. 3.* ex D. Thom. *ex 4. d. 33 art. ad 5.*

Per omnem voluntariam pollutionem amittitur virginitas, Cajet. *2. 2. quæst. 154. art. 6. initio. Et ad 3. vid. eund. q. 15. art. 1. ad 3.* Sot. *d. 49. q. 1. art. 1. colum. 4.* Syl. *virginitas. 2.* Martin. apud Cajet. *l. c.* Vival. *in append. l. c. n. 25. Nocturnam.* Vival. *l. c. n. 29. Apto.* Non autem si eunuchus sit ad seminandum.